



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Dei decima-nona Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Februa. 19.

NATALES

*Chronicon
Bertinense
cap. 26.*

Epist. 350.

bellum, potissimum in Alciaco, vbi abbatia est, eius nomen habens, fuitque in ea sepultus à monasterio Centulensi. Sed corpus per modum vadij, sub comite & abbate Arnulpho magno, delatum est ad sancti Bertini conuentum. Cumque præscriptum redimendi tempus paululum, diuinâ, vti putatur, dispositione elapsum esset, inuitis Alciacensibus ibidem remansit. Estque penes Bertinenses, donec ibidem obseruantia viguerit regularis, prærogatiua honoris dandi ex suo monasterio Alciacensibus abbatem, iuxta rescriptum Innocentij tertij, quod est in fine quinti Decretalium. Meminit etiam Bernardus abbas & ecclesiæ de Alchi, ei desertam & incultam terram in eleemosynam concedi petens.

Dei decima-nona Februarij.

Obitus beati Bonifacii, epis. Lausanensis.

Ex manu-scriptis historijs Bonifacii & Aleidis, & narratione reuerendæ dominae abbatisse,

D. Barbara Tas.

IN Camera beatæ Mariæ, obitus beati Bonifacii, episcopi Lausanensis, magistri in Theologia Parisiensis: qui Bruxellæ natus, in dicto ordinis Cisterciensis monasterio, iuxta idem oppidum, quieuit. Cum enim per decem annos episcopatum rexisset, & vir mundus ac immaculatus à carnalibus vitijs, contra sacerdotes focaristas acrem sermonem habuisset, ferè ab eis est occisus. Vnde à Pontifice petijt dimissionem, nec senex alium episcopatum acceptare voluit.

In huius anniuersario depositionis die, tumba eius ornatur tapetibus, floribus, & luminariibus, quæ vocantur *stal-lichten*: officium autem de-
functo-

functorum non pro eo fit, quia inter beatos numeratur, sed pro amicis. Calice ipsius sacro semel tantum vtuntur annuè, in sacro huius diei. Distribuantur etiam Dominica die, Latate, magni panes, propter multa beneficia quæ monasterio prestitit. & vocantur panes S. Bonifacij.

Ibidem in festo sancti Barnabæ, obitus Aleidis de Scarenbeca, sanctimonialis, leprosæ, anno iubilæo, millesimo, ducentesimo, quinquagesimo. Cuius virtutes & merita, visitationes & miracula, ad plenum nequeunt explicari.

Die vigesima Februarij

1^o. De sancto Eleuthero, episcopo & patrono Tornacensium.

Ex monumentis Tornacensis Ecclesie, quæ communicauit Doctor Theologus Henricus de Corbry, ibidem Canonicus.

Blandinij natalis sancti **ELEUTHERII**, episcopi & confessoris. Cuius honorifica est apud Fortunatum mentio. Hic natus est Tornaci ex Christianis parentibus, Sereno & Blanda, qui propter nomen Domini inde exulare iussi, ad vicinum Blandinium commigrarunt: vbi ædificarunt ecclesiam in honorem D. Petri. Mortuo autem Theodoro episcopo, Eleutherius fide-
Vita Medardsi c. 2. § 18.
 lium electione successit, & Blandinij resedit annis nouem, Tornaci verò annis triginta sex. Ter fuit flagellatus, & à paganis Tornaco expulsus. Cùm autem magno labore tribunum Scandiensem conterrisset, cessauit persecutio, & Tornaci in-
In breuiario Tornacensi.
 tantum est fides propagata, vt inibi profiteantur.

Miro